

# Lavantinske škofije

## uradni list.

Vsebina: 29. Misijonska razstava v Rimu v svetem letu 1925. — 30. Duhovne vaje v letu Gospodovem 1923.

29.

### Misijonska razstava v Rimu v svetem letu 1925.

a) Papeško pismo kardinalu Viljemu van Rossum.

Dilecto Filio Nostro *Gulielmo S. R. E. Presb. Cardinali van Rossum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecto*

**Pius PP. XI.**

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Fidei propagandae studium Nobis cum sit, ut debet esse, praecipuum, singulares equidem curas cogitationesque solemus in ea omnia conferre, quaecumque ad catholicarum Missionum ordinationem atque incrementa pertinent.

Huius rei, ut missa faciamus quae in vulgus sunt cognita, temetipsum, Dilecte Fili Noster, testem in primis et consicum appellamus, quocum adhuc, cum saepe de Ecclesia Dei apostolatu ageremus, haud semel consultavimus, quem admodum hoc Missionum opus promovere usque melius liceret et catholicis hominibus familiarius cariusque efficere. Iam vero ad eiusmodi propositum assequendum maxime arbitramur, ut Tibi significavimus profuturum, si hac Urbe, christiani nominis capite, universa ad spectandum proponantur, quibus cunctarum totius catholici orbis Missionum natura atque actio, loca atque res inlustrentur. Quod cum tibi ipsi videatur apte ac decore posse fieri, statuimus, ut Anno Sancto 1925 cum in hanc Almam Urbem Ecclesiae filii undique frequentissimi, ut Deo dante fore confidimus, pietatis causa confluent, Expositio ut aiunt Missionaria in Aedibus Vaticanis habeatur, quam prudenter studiosaque voluntate tua freti apparandam instruendamque tibi committimus. Tuum igitur est, Dilecte Fili Noster, iam nunc in tantum munus incumbere eaque inire consilia, quae ad rem feliciter absolutam peropportuna duxeris. In quo non dubitamus quin naviter acriterque, pro tuo instituto, labores, praesertim cum causa eiusmodi agatur, quae cum Dei gloria, Ecclesiae decore Missionumque utilitate est summopere coniuncta. Foveat vota nostra suo patrocinio Fidelis a Sigmaringa Protomartyr Sacri Consilii a Propaganda Fide, cuius in memoriam instituta saecularia sollemnia hoc ipso complentur die.

Caelestis interea auxili auxpicem paternaueque benevolentiae Nostrae testem tibi, Dilecte Fili Noster, iisque omnibus quos consortes sociosque in incepto

persequendo delegeris, apostolicam benedictionem permanenter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 24. mensis Aprilis 1923, Pontificatus Nostri anno secundo.

**PIUS PP. XI.**

b) Dopis svete kongregacije de Propaganda Fide.

Sacra Congregatio

DE PROPAGANDA FIDE

Prot. N. 42/23.

*Ill.me ac Rev.me Domine!*

Pergratum mihi est pro munere meo Amplitudinem Tuam certiore facere SS. m. D. N. PIUS PP. XI. litteris non ita pridem ad me datis omnium catholicarum Missionum Expositionem quam vocant indixisse in Aedibus Vaticanis anno iubilari proximo 1925 concinnandam.

Qua in re promovenda Sanctitas Sua finem habuit omnium Christifidelium voluntates erga Evangelicam praedicationem inter gentes excitare atque augere. Siquidem vel ab ipsis catholicis non satis cognoscuntur ea, quae ad dilatandum regnum Dei in terris pertinent, et, quum ignoti nulla sit cupido parumque nota vix allicant animosque moveant, Evangelii praecones illa quam merentur et qua tantopere indigent fidelium omnium conspirante prece et adiutrice opera non fulciuntur. Sperat igitur Summus Pontifex futurum ut anno Iubilaei, cum ex omni regione frequentissimi Romanum convenient fideles, uno quasi conspectu oculis obiici possint quae opera Ecclesia ubique terrarum ad magna Redemptoris beneficia omnibus hominibus communicanda aggrediatur, quas difficultates inveniat, quot labores sustineat palmasque reportet.

Profecto animum recreant cum magnificum dilecti Pontificis inceptum, tum etiam praevisi inde percipiendi

fructus Missionibus uberrimi. Fieri enim non potest quin Christifideles invidentes quae Missionum omnium vivam quandam referant imaginem efficienti studio erga missionalia opera incendantur.

Quo vero optatum hunc finem felicius consequi liceat, Sacra haec Congregatio Christiano Nomini propagando, cui propositum exsequendum a Summo Pontifice commissum fuit, memor Dominum nostrum Iesum Christum omnibus Apostolis eorumque Successoribus Episcopis mandatum dedisse praedicandi gentibus Evangelium, Tuoque confidens erga Missiones catholicae ardentis studio, opem adiutricem a Te fidentissime expostulat.

Iam in Aedibus huius Sacrae Congregationis constitutum est *Consilium pro Expositione Missionaria*, quod totam rerum exhibendarum praeparationem dirigat.

Iam Instituta et Congregationes Religiosorum, quae concreditas habent Missiones, efficientem operam se conlatura promiserunt.

Rogatur vero A. T. ut tantum Pontificis inceptum benevolentia animo iuves ac omni favore, commendatione, consilio, opera prosequaris.

Cum autem in Dioecesi Tibi commissa invenire forte liceat res ad Missiones spectantes, vel etiam libros sive antiquos sive recentiores de Missionibus conscriptos easve spectantes, aut etiam tabulas geographicas aliave huiusmodi, haec omnia, quae utilia forent ad Missiones catholicas illustrandas, Romam quatenus fieri possit mittenda cures. Quem in finem velis aliquem cui fidem habeas indicare, qui de hisce cum supra memorato „Consilio pro Expositione“ (Piazza di Spagna, n. 48-Propaganda, Roma VI) tractet. Sciat vero A. T. res omnes quae expositae fuerint in dominio mansuras esse illorum qui eas miserint et fideliter restitutum iri.

Expensae, quas Expositio praeparanda et instruenda requiret, non exiguae sane praevidentur; verum spem habeo non defuturos esse qui sibi honori ducant

media necessaria ad hoc suppeditare, atque hac etiam ratione Missiones fovere.

Reliquum est ut A. T. rogem ut etiam à Deo opem implores implorandamque a Tuis fidelibus cures, ut divina benedictione et Beatae Mariae Virginis, Reginae Missionum, protectione omnia ex votis succedant ad laudem Dei Nostri, Sanctae Matris Ecclesiae elationem et animarum a Iesu Christo redemptarum salutem aeternam.

Fausta quæque Tibi a Domino ominans atque adprecans Amplitudinis Tuæ me profiteor

Romae, ex aedibus S. C. de Propaganda Fide, die III. Mai MCMXXIII, in Festo Inventionis Sanctæ Crucis, humillimum addictissimum servum

G. M. Card. van Rossum

† Francesco Marchetti-Selvaggiani

Arcivescovo di Seleucia  
Segretario.

c) Tuuradna naročila. — Glasom zgoraj ponatisnjene dopisa svete kongregacije de Propaganda Fide se v Rimu za bližnje sveto leto 1925, ki bo brezdvomno privabilo izredno veliko število romarjev v središče krščanstva, namerava prirediti občna misijonska razstava. K tej prireditvi, ki so jo sveti oče poverili kardinalu Viljemu van Rossum kot prefektu omenjene kongregacije, pa naj bi pripomagali vsi katoliški kristjani iz vseh delov sveta.

V to svrhu se povabijo vsi častivredni dušni pastirji naše Lavantske škofije, da potom pristojnih kn. šk. dekanjskih uradov tozadevne morebitne svoje ali svojih župljanov predmete (knjige, zemljevide i. dr.) čimprej s primernim pojasnilom vred dostavijo tukajnjemu kn. šk. uradu, ki jih bo pregledal, potem pa ali skupno poslal na določeno mesto v Rim ali pa posameznikom vrnil kot za razstavo manj primerne.

Pripomni se, da morajo lastniki za misijonsko razstavo vposlanih stvari sami prevzeti s pošiljtvami ozir. z vrnitvami združene stroške.

### 30.

## Duhovne vaje v letu Gospodovem 1923.

Castivredni gospodje duhovniki Lavantske škofije se s tem povabijo na skupne eksercicije, ki se bodo pod vodstvom častitega Patra iz Družbe Jez. vrstile v cerkvi sv. Alojzija v Mariboru v dnevih od 6. avg. zvečer pa do 10. avg. 1923 zjutraj.

Želi se, da bi se jih gospodje udeležili v kar največjem številu in prav resno. Saj se zdi, da nam žalostne razmere sedanjega časa bolj kakor kdaj kličejo v spomin besede našega Gospoda Jezusa Kristusa: *Videte, vigilate et orate; nescitis enim, quando tempus sit. Sicut homo, qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem eiusque operis, et ianitori praecepit, ut vigilet. Vigilate ergo (nescitis enim, quando dominus do-*

*mus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane). Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate!* (Marc. 13, 33—37).

Tozadevne priglasitve se naj potom dekanjskih uradov čimprej izvršijo z izrecno pripombo zastran stanovanja in hrane v kn. šk. bogoslovнем oziroma deškem semenišču.<sup>1</sup>

*Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra!* (Ps. 94, 4).

<sup>1</sup> Več o tem: Lavantske škofije uradni list, 1919, Štev. V. odst. 40, str. 55—27. — Gesta et statuta Synodi diocesanae anno 1896 constituta, Marburgi, 1897, Cap. XV. pagg. 350—358. Synodus diocesana Lavantina anno 1906 concita et facta, Marburgi, 1907, Cap. CXXII, pagg. 409—418.

## Kn. šk. Lavantski konzistorij v Mariboru,

dne 14. julija 1923.

Martin Matek,

doctor rom. in iure canonico,  
ravnatelj pisarne.